

postolorum, quamvis unum habeant auctorem Lucam, conversio Pauli bis invenitur narrata (Act. IX, XXII). Nec desunt rationes ad explicandas quasdam repetitiones ab adversariis obiectas: ita creatio hominis in capite I narrata opportune repetitur, et clarius exponitur in capite II, quia exinde incipit proprie historia generis humani, cuius stipes et caput erat Adam, dum in capite praecedenti eius creatio breviter innuitur tamquam pars et complementum totius operis creationis. Idem dicendum de aliis exemplis repetitionum, quae tamen consulto fiunt a Moysse ut diversarum stirpium genealogiae clariiores sint, aut alia simili de causa.

Ad Arg. III. de titulis et conclusionibus quod attinet, nihil impedit quominus horum unus idemque Moyses sit auctor, scilicet ut varias narrationis partes clare inter se distingueret, et transitum ab una ad aliam epocham, seu ab uno ad aliud argumentum indicaret. Iam enim vidimus in prima Geneseos parte paucos tantum eventos, et longe inter se dissitos narrari. Quod pertinet speciatim ad initium capituli V, verba illa: « *Hic est liber generationis Adam* » non designant distinctum aliquem librum, aut codicem, seu documentum, sed iuxta vim hebraicae vocis סֵפֶר (sepher) significant: haec est historia seu *narratio* genealogiae Adami.

Ad Arg. IV. Omissiones et lacunas in Genesi reperiri ultro admittimus. Neque aliter esse poterat considerato scopo Moysi in historia Geneseos texenda. Neque enim ei propositum erat integram humani generis historiam referre, sed illos dumtaxat eventos, ex quibus colligi posset ordo mirabilis divinae Providentiae in humani generis redemptione praeparanda, et revelatae Religionis deposito custodiendo. Frustra igitur exinde adversarii sibi fingunt plures auctores et plura fragmenta.

Ad Arg. V non magis valet diversitas styli, quam fatemur existere inter primam Geneseos partem, et historiam Iosephi, ac quatuor reliquos libros, praesertim Deuteronomium. Saepe enim fit ut unus idemque auctor pro vario argumento, pro varia aetate, ac pro diversis adiunctis in quibus scribit stylo etiam aliquatenus diverso utatur. Quid igitur miram si idem et Moysi acciderit? Aliter enim narranda erat primorum hominum historia, cuius pauca vel nulla exstant monumenta nec tam intimus erat cum Hebraeorum historia nexus, quare breviter ac sobrie proponenda fuit; aliter autem historia recentior, quae ad Hebraeos proprie pertinebat, even-

tibus gravissimis referta erat, et genti universae ex patrum traditione notissima. Item recolendum est libros suos Moysen scripsisse toto quadraginta annorum spatio inter laeta ac tristia, in medio discriminum, et in continua gravissimorum negotiorum turba. Quis autem mirabitur, cum vel labentibus annis et ingravescente aetate, vel in adiunctis omnino diversis et contrariis constitutum, vel de rebus admodum variis tractantem non semper eundem styllum adhibere potuisse, aut etiam voluisse?

Ad Arg. VI. dicimus, id tantum demonstrare Moysi praeter traditionem etiam scripta monumenta praesto fuisse, quod non negamus: minime vero eadem integra ab eo fuisse recepta, et Pentateucho inserta. Accedit etiam, quod pertinet ad colloquia, eadem potuisse per traditionem cognosci saltem quoad sensum; neque enim ulla est necessitas supponendi ipsa praeiorum hominum verba a Moysse recitari, exceptis iis quae speciale aliquod mysterium, seu vaticinium, aut Dei promissionem continent, quae quidem ob ipsam eorum gravitatem facile poterunt immutata conservari, et ulterioris certitudinis causa ex scriptis confirmari.

Ex hisce omnibus apparet sententiam de qua loquimur non satis solidis fundamentis inniti, et ad styllum vel formam Pentateuchi explicandam minime necessariam esse.

CAPUT III.

DE LIBRORUM V. T. CONSERVATIONE ET INTEGRITATE.

Ordini superiori constituto insistentes de V. T. *conservatione et integritate* tractaturi, distinguimus *textum originarium a versionibus*; hisce enim duobus modis quemadmodum Novum ita et Vetus Testamentum conservatum est, et ad nos usque pervenit. Imprimis autem dicimus quinam sit originarius V. T. textus.

Libri V. T. protocanonici hebraica lingua scripti fuerunt a suis auctoribus, ita tamen ut nonnullae partes chaldaice exaratae sint scilicet 4 Esdrae IV, 8 usque ad VII, 27, et Danielis II, 4 usque ad VII, 28. cum vers. 11 Capituli X Ieremiae. Septem vero libri deuterocanonici non hebraice sed graece habentur, ex quibus tamen

secundus *Machabaeorum*, et *Sapientia* dumtaxat graece a suis auctoribus scripti fuerunt, alii vero vel hebraice (uti 1 *Machabaeorum*, *Ecclesiasticus* et *Baruch*), vel chaldaice (ut *Judith*, et *Tobias*); istis vero originariis Hebraicis seu Chaldaicis textibus iamdiu deperditis, Graeca horum librorum versio ad instar textus originarii habetur. Ex his sequitur textum originarium V. T. generatim sumptum esse *textum Hebraicum*. De hoc itaque primo agendum erit.

ARTICULUS I.

DE LIBRORUM V. T. CONSERVATIONE ET INTEGRITATE
QUATENUS IN TEXTU HEBRAICO CONTINENTUR.

Antequam ad probandam Testamenti Hebraici integritatem accedamus pauca de ipsius *autographis*, et *apographis* praemittenda sunt, quemadmodum pro textu graeco N. T. factum est.

§. I. De Hebraicis V. T. *autographis* et *apographis*.

Auctores protocanonici V. T. hebraica lingua scripsisse certum est, ea scilicet lingua quam a Patriarchis acceptam Hebraeorum gens uti propriam et vernaculam habuit usque ad aetatem quae captivitati Babylonicae successit. Horum librorum *autographa* mature admodum periisse credendum est cum nulla de iis mentio occurrat in sacris literis, si excipiat Pentateuchus Moysi cuius *autographum* ab ipso Moysae sacerdotibus ac levitis traditum dicitur in tabernaculo custodiendum (Deut. XXXI), ubi diu conservatum est. Attamen subsequenter librorum ipsorum exemplaria, seu *apographa* statim multiplicari coeperunt, et magno numero propagata ac disseminata sunt primo quidem intra fines Palaestinae, deinde vero etiam apud alias gentes ubicumque Hebraei vel sponte, vel invitū sedem fixerunt. Ad huiusmodi *apographa* quod attinet, hic nonnulla observabimus de ratione qua eadem exarata fuerunt, deque mutationibus quae in iisdem locum habuerunt, quorum notitia ad nostrae quaestionis intelligentiam utilis erit. Itaque imprimis observandum est *characteres originarios* quibus Hebraei utebantur

et quibus Agiographi V. T. suos libros exararunt non fuisse illos quos hodie Hebraeos dicimus, quique melius Chaldaici seu Babylonici dicendi essent, sed rudiores illos qui adhuc in antiquis nummis Hebraeorum leguntur, et a Samaritanis ac Phoeniciis parum differunt. Scilicet primitus videntur derivati characteres Hebraici a Phoenicibus et Chananaeis, apud quos Patriarchae Hebraeorum diu vixerunt, et primae gentis Hebraicae origines agnoscendae sunt. Hanc scribendi rationem in Aegyptum deportarunt, et inde rursus in Palaestinam cum Dei ope regione illa potiti sunt, eandemque scripturam retinuerunt usque ad captivitatem Babylonicam. Tunc tandem Hebraei, cum septuaginta annis inter Babylonios vixissent, eorum scripturae, quae faciliior et elegantior erat, assuescere coeperunt. Hinc factum est ut post tempora captivitatis Iudaei novis illis literis in scribendo uterentur, et ipsi sacri codices, curante Esdra, ut videtur, iisdem literis rescripti fuerint, et semper deinceps idem scribendi modus duraverit, qui adhuc in usu est. Veteres autem literarum figurae manserunt apud Samaritanos qui nullam eas immutandi occasionem habuerunt, et apud ipsos Hebraeos in publicis monumentis ac nummis usque ad seriore aetatem adhiberi continuarunt, ut ex pluribus nummis identidem inventis apparet, ubi legitur antiquis literis *shekel Israel*, aut aliae breves inscriptiones, quarum figuras exhibent Calmet in *Dictionario biblico* et alii. Haec quidem de antiquis Hebraeorum characteribus communis est eruditorum sententia, quae in traditione Iudaeorum et in auctoritate Talmudis fundatur, et quam ex antiquis doctoribus sequuntur Origenes, et Hieronymus (Prol. Gal.), et ex recentioribus praecipui inter criticos ut Scaliger, Grotius, Walton, Capelli, Io. Morinus, Bellarminus, Rich. Simonius aliique, refragantibus tamen nonnullis cum Buxtorffo iuniore, Relando et Lightfoot et aliis recentioribus. Igitur prima librorum sacrorum exemplaria in forma literarum cum nostris non conveniebant, et haec est prima mutatio in *apographa* Hebraici textus inducta. Alia mutatio respicit *puncta vocalia*. Notum est vixiginti duas literas alphabeti hebraici esse omnes consonantes, vocales autem non constituere partem vocabulorum, sed punctis quibusdam vel lineolis supra aut infra vocem apposis exprimi. Porro communis ac vera sententia est huiusmodi signa vocalium antiquis Hebraeis ignota fuisse, quemadmodum etiam accentus, quibus nunc Hebraica scriptura redundat. Quenam fuerit

horum signorum origo valde disputatum est: omnia enim eorum sententia, qui ab ipso Deo puncta illa protoparentibus tradita fuisse contendunt, quod nemo amplius defendit, nonnulli ex rabbinis, quos ex nostris sequuntur Bartolucci, et Voisin, punctorum inventionem Moysi tribuunt, quae tamen opinio pariter ab omnibus nunc exploditur; alii plures, duobus utroque Buxtorfio, vocalia puncta ab Esdra repetunt. Verum caeteris probabilior est Lud. Capelli sententia, quae punctorum et accentuum originem repetit a Masorethis, qui saeculo post Christum VI^o Hebraicum textum recensuerunt, et traditionalem singularum vocum lectionem fixerunt, de quibus in tertia Parte plura dicemus. Hanc opinionem, quam inter Hebraeos doctus Elias levita defendit, recentiores critici ac philologi fere omnes sequuntur. Et sane multa sunt quae eam vehementer suadent, sed illud imprimis quod nullum punctorum vocalium vestigium, nulla mentio occurrat sive in Talmude Babylónico saeculo IV^o aerae vulgaris confecto, sive in operibus Patrum priorum quinque saeculorum ac praesertim in scriptis S. Hieronymi, qui contra pluribus in locis conqueritur de ambiguitate quarumdam vocum Hebraicarum ob diversam vocalium appositionem, quae nonnisi ex scientia linguae et ex orali Iudaeorum traditione dignosci possit. Vide Hieronymum Com. in Ier. IX circa vocem דבר (1) item Comm. in Is. IX, 8, et in Hab. III, 5 circa eandem vocem, et in Is. XXVI, 14 circa vocem זכר (2) et in Is. XXXII de voce אור (3) et alibi. Quod si S. Doctor in epistola ad Evagrium 26 dicit Hebraeos *per raro vocalibus literis uti in medio vocum* id non de hodiernis punctis vocalibus intelligendum est, sed de literis נ, י, ר, quae in vocibus difficilioribus solebant literis interseri ad enunciationis ambiguitatem tollendam, per נ indicando sonum a,

(1) = Verbum Hebraicum, inquit, quod tribus literis scribitur בכך (vocales enim in medio non habent, sed pro consequentia, et legentis arbitrio legunt) si legatur *Dabar* sermonem significat, si *Deber* mortem, si *Daber* loquere. *

(2) = Nec nos terrere debet quod Septuaginta *masculum*, et ceteri interpretes *memoriam* transtulerunt, cum hisdem tribus literis זכר utrumque scribitur apud Hebraeos: sed cum memoriale dicitur legitur *zecher*, quando masculum legitur *sachar*, et hac verbi ambiguitate deceptum arbitrantur Iudaei Saulem, cum pugnavit contra Amalecitas. *

(3) = Ignis et lumen Hebraice hisdem scribuntur literis אור, quod si *ur* legatur ignem sonat, si *or* lucem. *

per י vel e, et per ר o vel u, quia nempe hos vocales sonos plerumque amant: quare istae literae a Rabbinis vocantur *matres lectionis* (אפרות הקריאה). Haec itaque fuit altera mutatio inducta in exemplaria V. T. ut nempe quae antea sine punctis atque accentibus scribi solerent post saeculum sextum hisce signis ornata apparuerint. Hoc tamen intelligendum est de iis tantum exemplaribus quae privatorum usibus destinabantur, non autem de illis quae publicae lectioni in synagoga inserviebant: haec enim semper absque punctis scripta sunt, et adhuc scribuntur. Quoniam vero de Masorethis mentionem iniicimus obiter monemus hoc nomine designari doctores Hebraeorum qui opus condiderunt *Masorah* (מסרה) vocatum. Hoc opus a Rabbinis Tiberiensibus inceptum saeculo post Christum VI, et paulatim perfectum et auctum sequentibus aetatibus usque ad saeculum nonum, vel decimum continet criticam editionem, seu recensionem sacri Textus, in qua non solum puncta vocalia et accentus, ut diximus, hebraicis vocibus apposita sunt ad singularum prononunciationem determinandam, sed etiam variantes lectiones notatae sunt, item omnes voces vocumque literae numeratae, mutationes etiam levissimae, et mere orthographicae religiose observatae et aliae huius generis minutiae. Farrago ista adnotationum diversis temporibus editarum in unum corpus collecta fuit a Rabbi Ben-Hajim, et *Masora* appellata, idest *traditio*, quia haec omnia ex antiqua traditione accepta erant. Dividitur in *Masoram magnam*, quae integras observationes refert, et apponitur supra et infra sacrum textum, in *Masoram parvam*, quae tantum compendium observationum per *abbreviaturas* exhibet et ad latus textus apparet, denique in *Masoram finalem* quae excerpta Masorae magnae ad finem textus sistit. Triplicem hanc Masoram simul exhibent omnes editiones quae dicuntur *Biblia magna Rabbinica*; in quibusdam aliis editionibus, ac in pluribus manuscriptis Masora finalis desideratur; in editionibus denique manualibus non nisi paucae variantes lectiones ad calcem paginarum leguntur, et in fine librorum quaedam adnotationes ex Masora excerptae. Textus iuxta Masoram correctus, et vocalibus signis instructus appellari solet textus *Masorethicus*, quem repraesentant editiones typographicae, quibus nunc utimur. Huius textus exemplaria inde a saeculo VI mirum in modum multiplicata sunt. Verum cum Masoretharum regulae non semper ab editoribus, vel

amanuensibus recte intellectae, aut fideliter servatae fuerint, factum est ut saeculo XI diversarum regionum codices paullisper inter se discreparent. Hinc duo ex celebrioribus Rabbini illius temporis Ben-Ascer ex Tiberiade, et Ben-Nephtali ex Babylonia summa cura correverunt sacrum textum, unde duae codicum classes seu familiae originem habuerunt, scilicet *Occidentalis*, quae sequitur recensionem Ben-Ascer, et *Orientalis*, quae sequitur Ben-Nephtali: differentiae tamen sunt levissimae, et plerumque in punctis et accentibus continentur, non autem in literis. Sequentibus saeculis aliae quoque recensiones a doctis Iudaeis factae sunt inter quas praecipue laudatur ea quam Norzi saeculo XVIII curavit in opere Mantuae edito a. 1742. sub titulo כְּנֻחַת־סֵפֶר (Minhath sciari) de quo plura I. B. De Rossi in suo compendio criticae sacrae num. X-XIX. Inventa arte typographica statim typis imprimi coepit textus hebraicus. Tres autem sunt editiones principes ad quarum normam ceterae postea confectae fuerunt. 1^a Scilicet Biblia hebraica Soncini impressa in folio parvo a. 1488; 2^a editio quae habetur in Polyglottis Complutensibus (a. 1502-1517); 3^a editio Bombergiana secunda (Venetiis a. 1523-1528), cui praefuit Rabbi Iacob Ben-Hhajim. Istae editiones ex optimis codicibus manuscriptis adornatae sunt. Verum cum adhuc non pauca menda in textu observarentur plures eruditi viri recentius consilium susceperunt de pluribus codicibus simul conferendis, in quo labore praecipuam laudem meruerunt ex Anglis Kennicott, et ex nostris I. B. De Rossi cuius praeclarum opus: *Variae lectiones V. T.* Parmae 1781-1798 quinque tomis comprehensum apud omnes in admiratione est. Inter recentiores editiones mannales ceteris praestat editio Van der Hooght Amstel. 1705, quae postea in editione stereotypa Lipsiensi, curante Hahnio, repetita est, et in melius adducta a. 1839, et saepe deinceps.

Codices manuscripti textus hebraici quamvis multi in Bibliothecis reperiantur non tantum valorem habent quantum graeci N. T. codices. Sunt enim generatim loquendo recentioris aetatis, et vix ullus invenitur qui saeculo XI antiquior certo demonstrari possit. Eorum indicem copiosissimum exhibet laudatus De Rossi in *Prolegomenis* ad variantes lectiones, et in speciali opere de Mss. codicum suae bibliothecae. De his tractabimus in Parte III Criticae.

Postremo mentio facienda est *divisionis sacri textus* a Iudaeis fa-

ctae, quae diversa omnino est a nostra divisione in capita et versiculos. Haec enim altera divisio a Christianis originem habuit. Scilicet postquam latina Vulgata a Card. Hugone in capita divisa est ad faciliorem usum suae *Concordantiae biblicae*, factum est ut eadem divisio in utrumque textum, Graecum scilicet et Hebraicum, inducta fuerit. Et simili de causa postquam Robertus Stephanus saeculo XVI ulterius Vulgatam in versiculos distinxit etiam textus eadem ratione divisus apparuit: quamquam textus hebraicus vix dici potest hanc alteram divisionem suscepisse, numeri enim versiculorum tantum in margine quarundam editionum notantur non separatis ab invicem versiculis, in aliis vero editionibus tantum singuli quinque versus per literas hebraicas א, ב, ג, ד, ה etc. notantur. Verum pro sacris usibus Synagoga alia divisio apud Iudaeos in usu est usque a remotissima aetate. Scilicet tum Pentateuchus tum Prophetiae in tot sectiones dividuntur quot sunt anni hebdomadae ut una sectio ex utraque parte sacri textus singulis sabbatis legalur, primo scilicet sectio Pentateuchi, deinde sectio Prophetarum. Sectiones Pentateuchi *pharaschae* (hebraice פְּרָשְׁיֹוֹת) vocantur, sectiones vero Prophetarum dicuntur *haptarae* (hebraice הַפְּטָרוֹת). In nostris editionibus hebraicis pharaschae (quae hodiernis capitibus nulla ratione respondent) notantur per literas *Phe* vel *Samech* ter repetitas ita פפפ, ססס: et si pharascha longior sit et a diversis legenda subdividitur in minores sectiones quae per simplicem literam *Phe*, vel *Samech* notantur. Litera autem *Phe* seu simplex seu ter repetita est initialis vocis פְּתוּחָה (*petuhhah* seu *aperta*, qua monetur scriba ut post illud signum lineam sequentem a capite incipiat, litera autem *Samech* stat pro voce סְתוּמָה vel *semuchah* כְּבוּכָה idest *clausa*, qua monetur librarius ut brevi intervallo relicto eandem lineam continuet.

Hicce breviter praemissis de textus Hebraici historia, nunc de eius integritate agendum est. Quaeritur scilicet utrum in tam longo saeculorum spatio atque inter tot vicissitudines textus hebraicus in eo statu permanserit in quo erat ab initio, an vero corruptus aut interpolatus fuerit? Hac in re duae sunt extremae et oppositae quorundam sententiae. Alii enim ita depriment auctoritatem hebraici textus ut eum dicant prorsus corruptum praesertim fraude Hebraeorum; ita ex nostris Melchior Canus in lib. II^o de locis Theologicis cap. 12, Salmeron in prolegomeno IV in Evangelia, et alii

pauci ex antiquioribus Theologis, qui forte in hanc sententiam venerunt ob nimium studium tuendi auctoritatem Vulgatae Latinae, quae ab hebraico textu nonnullis in locis aliquantum differt. Alii ex adverso hebraicum textum ita purum atque integrum esse contendunt ut neque leviores mutationes in eum irrepsisse fateri velint. Ita plerique Rabbinii et multi ex antiquioribus Protestantibus ea praesertim ducti ratione ut Latinam Vulgatam a Concilio Tridentino adprobatam carpere ac damnare possent, simulque novis condendis versionibus viam aperirent. At veritas in medio consistit, ut scilicet hebraicum textum neque a levioribus quibuscumque defectibus immunem asseramus, neque e contra ita vitiatum ut in sua substantia integer dici nequeat. Haec est sententia quam cum Bellarmino Theologi orthodoxi passim tuentur, quamque ipsi protestantes sanioris mentis ut veriore admittunt. Sit itaque

THESIS XXI.

Textus hebraicus V. T. quamvis levioribus mendis, sive ex oscitantia librorum, sive etiam ex Iudaeorum fraude exortis non careat, substantialiter tamen integer atque incorruptus dicendus est.

Ad rectam Theseos intelligentiam recolenda sunt quae alias diximus de notione integritatis, et de vero sensu *substantialis* integritatis librorum. Quibus positis, utramque propositionis partem breviter demonstrabimus.

§. I. Textus Hebraicus leviores errores continet.

Cum dicimus leviores errores in Hebraico textu contineri, eos intelligimus, qui rerum substantiam non mutant: huiusmodi autem errores in hodierno textu reperiri variis rationibus suadetur.

Ac 1° quidem eorum existentia praesumenda omnino est. Si quidem affirmare textum hebraicum spatium triginta et amplius saeculorum infinitis poene vicibus transcriptum nullos omnino defectus contraxisse, librariorum numquam sive ex negligentia, sive ex involuntario errore literas inter se confudisse, nihil prorsus in scribendo omisisse, vel addidisse, hoc, inquam, affirmare est

contra ordinarias naturae leges, et adversus quotidianam experientiam, quod, excepto divino miraculo, admittendum non est. Facile autem est causas numerare quae potuerunt textum in levioribus corrumpere. Eas critici revocant praecipue ad sequentia capita. a) *Lapsus memoriae.* Aliquando enim librarii rapide scribentes integram lineam oculis percurrerant, quam postea ex memoria scribebant, in quo memoria eos aliquando fefellit ut vel vocem aliquam omitterent, vel ei aliam similem substituerent. b) *Error oculorum.* In veloci enim scriptione facile fieri potest ut una litera, vel etiam vox cum alia simili confundatur, sive in legendo, sive in exscribendo. Et id quidem facilius in hebraicis vocibus evenire potest, cum multae literae parum inter se differant, ut *Beth* et *Caph*, *Ghimel* et *Nun*, *Mem* et *Samech* etc. c) *Error auditus.* Saepe enim fiebat ut plures simul librarii non ex originali sub oculis posito, sed alio dictante scriberent. Tunc ob soni similitudinem fieri potuit ut una vox pro alia audiretur. Ita explicari potest permutatio illa particulae \aleph cum pronomine \beth quae septies et decies in textu occurrit. d) *Loci paralleli* saepe occasio errandi fuerunt, cum librarius eos memoriter repetens quae ad unum locum pertinebant, alteri simili invitus affigebat. e) *Notae marginales* aliquando etiam scriptores deceperunt, qui illas pro parte textus accipiebant, et textui inserebant. f) *Compendia scriptionis* male intellecta aliquando errori causam praebuerunt, ut unum vocabulum pro alio scriberetur. g) *Omissionum* causa frequentissima sunt loca $\alpha\mu\sigma\tau\epsilon\lambda\epsilon\upsilon\tau\zeta$, quum scilicet initium vel finis sententiae initio vel fini sequentis sententiae idem, vel similis est: tunc enim frequenter accidit ut amanuensis medias voces transiliat, et plura vocabula omittat. h) Denique deliberata etiam mutatio fieri aliquando potuit, et quidem sive ad textum corrigendum iuxta Masorae regulas, quas non semper aut bene intelligebant aut recte applicabant, vel etiam ex dolo, ut scilicet loci alicuius vim levi aliqua mutatione extenuarent ne Christianis argumentum nimis apertum suppeditaret. Ex hisce itaque aliisque similibus causis in tam longo saeculorum spatio mutationes aliquae levioris momenti sine dubio in textum hebraicum irrepserunt.

2° Probatum ex testimonio ipsorum Iudaeorum qui fatentur in codicibus hebraicis non paucas varietates repertas fuisse. Huc pertinent variantes lectiones notatae in codicibus textus quae dicuntur

tur *Keri*, *Chetiv*, item differentiae inter codices occidentales et orientales, quibus addi potest discrepantia quae in pluribus locis observatur in antiquis versionibus ex. gr. Syriaca, Aquilae, Symmachi, Theodotionis et ipsa Latina Vulgata sive invicem comparatis, sive cum hodierno textu, quae discrepantia in pluribus locis explicari non potest nisi ex diversa lectione ipsius textus originarii. Exemplo esse possunt sequentia loca.

In psalmo XVIII legimus iuxta Vulgatam Latinam: « In omnem terram exivit sonus eorum » ita legit etiam Hieronymus, et ante illum septuaginta interpretes, qui habent *ῥηγογγος αὐτῶν*, et ipse s. Paulus Rom. X, 18; verum nunc legitur in textu קָוָם (*kavam*) idest *regula vel perpendicularum eorum*. Evidens est textum originario habuisse קָוָם (*kolam*) *vox, vel sonus eorum*, deinde vero literam *lamed* excidisse. In Exodo Cap. II, v. 22 legitur in Vulgata et in aliis versionibus: « Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer dicens: Deus enim patris mei, adiutor meus, eripuit me de manu Pharaonis; » totum hoc incisum in hodierno textu deest. Zachar. IX, 9 Vulgata legit: « ecce Rex tuus veniet tibi iustus, et salvator: » ita quoque LXX qui legunt: *καὶ σωτήρ σου ἴστος*. Quare evidens est in textu olim fuisse מוֹשִׁיעַ (*mosciah*) *salvans*, seu *salvator*: at nunc legitur נוֹשִׁיעַ (*nosciah*) idest *salvatus*, quod vix ullum sensum aptum praefert. Utrum huc referenda sint loca ps. XXII, 18, et Is. IX, 6 alio loco expendemus. Alia exempla exhibent eruditi viri, et imprimis De Rossi in dissertatione praeliminari tom. IV *Variarum lectionum*.

Ex hisce concludimus textum hebraicum non paucas mutationes decursu temporis passum fuisse, quarum plures nunquam correctae sunt. Verum, hisce non obstantibus, contendimus eundem textum *substantialiter* integrum et incorruptum dicendum esse.

§. II. Textus hebraicus substantialiter incorruptus est.

Arg. I. extrinsecum desumitur ex testimonio et praxi Ecclesiae. Et imprimis afferri potest Christi Domini et Apostolorum auctoritas ad excludendam corruptionem substantialem textus ante aeram Christianam. Sane Christus et Apostoli, qui Hebraeis, ac praesertim Legis doctoribus et sacerdotibus non parant cum de co-

rum criminibus agitur, nunquam certe omisissent eos redarguere de corruptis sacris libris, si id sceleris unquam admisissent; si vero sacri codices etiam casu, vel absque culpa in sua substantia corrupti fuissent, de hoc certe fideles monuissent, vel loca a locis distinxissent. Nunc vero aliter prorsus se gesserunt Christus et Apostoli. Neque enim Phariseos aut Sacerdotes vel Scribas de corrupto contextu accusant, neque ullam unquam mentionem faciunt de quavis textus corruptione, quinimo Hebraeos indiscriminatim ad Scripturas legendas invitant (Io. V, 39. 2. Pet. I, 19 etc.) easque in omnibus veras esse usque ad unum iota et apicem (Matth. V, 18, Io. X, 33) proclamant, et Scribis et Phariseis *super cathedram Moysi sedentibus*, idest Scripturas legentibus et explanantibus, in omnibus credendum esse dicunt. Neque dici potest post aetatem Apostolorum sacrum textum fuisse corruptum: hoc enim excludit testimonium Christianae Ecclesiae sequentibus aetatibus. Et sane secundo post Christum saeculo versiones quaedam graecae apparuerunt quae immediate ex hebraico textu V. T. expressae erant, ut versiones Aquilae, Theodotionis, Symmachi, et tres aliae anonymae quae dicuntur V, VI, et VII, ut infra videbimus. Porro huiusmodi versiones ab Ecclesia damnatae non sunt, imo liber Danielis ex versione Theodotionis in sacram liturgiam Ecclesiae Graecae assumptus est, et inde etiam in Latinam versionem Latinamque liturgiam transit. Sequenti saeculo Origenes antiquam versionem Alexandrinam in suis *hexaplis* recensendam et corrigendam suscepit, adhibito imprimis hebraico textu: eius autem opus Ecclesia magno plausu exceptit, atque in suum usum convertit. Hoc iam ostendit tribus primis saeculis Ecclesiam hebraicum textum considerasse tamquam normam ad quam versiones Ecclesiarum usibus destinatae vel conficiendae vel corrigendae essent. Idem factum est sequentibus aetatibus. Nam saeculo quarto Hieronymus ex hebraeo fonte sacros libros in latinum convertit, eiusque versio ab Ecclesia tanti facta est, ut semel susceptam nunquam dimiserit. Post Hieronymi aetatem aliae quoque versiones tum in Oriente, tum in Occidente ex originario textu adornatae sunt, et ab Ecclesia laudatae ac receptae. Item antiquiores versiones iuxta hebraicam veritatem identidem expurgatae et relictae sunt, quemadmodum de Vulgata Hieronymiana saepe factum est, et praecipue saeculo XVI a correctoribus Pontificis ad

parandam editionem Sixtinam et Clementinam. Accedit praxis doctorum ac Theologorum, qui omnibus aetatibus hebraicum textum adhibuerunt ad ipsam versionem Vulgatam declarandam, ad dogmata stabilienda, et ad refutandas haereses. Quod quidem tum potissimum fieri solet quum versiones aut obscurae sunt, aut discordes iuxta canonem a Hieronymo et Augustino propositum: « Sicut in N. T. (ait Hieronymus in epist. ad Suniam et Fretelam) si quando apud Latinos quaestio exorta est, et inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem graeci sermonis, quo novum scriptum est Instrumentum; ita in V. T. quando inter Graecos Latinosque varietas est ad hebraicam recurrimus veritatem, ne quidquid de fonte proficiscitur hoc quaeramus in rivulis. » Quod etiam repetit in Ep. ad Lucinium: « Veterum librorum, inquit, fides de hebraeis voluminibus examinanda est » quod principium ipsis Hieronymi verbis retulit Gratianus in *Decreto Dist. 9, Cap. VI*. Consentit Augustinus De Civ. Dei lib. XV, Cap. 13: « Cum diversum aliquid, inquit, in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguae potius credatur unde est in aliam per interpretes facta translatio. » Accedunt aliorum etiam Patrum testimonia de textus hebraici integritate et fide. Ex quibus Iustinus martyr in oratione ad Graecos ait, divino consilio libros V. T. a Iudaeis servari ne gentes a nobis corruptos existimarent. Origenes Lib. VIII in Isaiam irridet eos qui hebraeos codices a Iudaeis corruptos dicerent, cuius testimonium probat et confirmat Hieronymus Com. in Isaiam VI, 8: « Si quis dixerit, inquit, Hebraeos libros postea a Iudaeis esse falsatos, audiat Origenem quid in octavo volumine explanationum Isaiae huic respondeat quaestiuiculae; quod nunquam Dominus et Apostoli, qui caetera crimina arguunt in Scribis et Pharisaicis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticissent. Sin autem dixerint, post adventum Domini Salvatoris, et praedicationem Apostolorum libros hebraeos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator et Evangelistae et Apostoli ita testimonia protulerint ut Iudaei postea falsaturi erant. » Eusebius Praepar. Evang. Lib. VIII, cap. 2 Philonis verba laudat dicentis: « Mirabile mihi videtur duobus annorum millibus, imo maiori iam tempore transacto, nec verbum unum in Lege Moysis fuisse immutatum etc. » Augustinus in Psalm. 40 productis verbis Gen. XXV, 23: « maior serviet

minori, » « Modo, inquit, impletum est, modo, fratres, nobis serviunt Iudaei; tamquam capsarii nostri facti sunt, studentibus nobis codices portant. » Simile testimonium occurrit apud V. Beda in Psalm. 56: « Hoc etiam, inquit, ad opprobrium pertinet Iudaeorum quod capsarii, idest librarii nostri facti sunt, quia portant nobis libros suos, sicut solent servi post dominos: ipsi enim deficiunt portantes, christiani proficiunt legentes. » Iamvero (opportune infert Bellarminus) quid profuisset Iudaeos librariorum nostros facere, si libri quos portant essent corrupti?

Arg. II internum ac directum depromitur ex collatione codicum, versionum, et allegationum textus, quae apud aliquos scriptores factae inveniuntur. Sane post ingentes eruditorum virorum labores, qui varietates in diversis V. T. instrumentis extantes collegerunt, manifeste apparuit, textum in successivis epochis levissimas tantum mutationes subisse. Siquidem, inspecta ingenti illa mole variantum lectionum, quae in opere Kennicotti, vel in quinque tomis I. B. De Rossi collecta est, unusquisque videt easdem varietates parvi omnino momenti esse, plerumque orthographiam potius vocum quam ipsas voces respicere, vel in unius voculae additione seu omissione consistere: ita ut in omnibus sive versionibus antiquis, sive hebraicis codicibus vel manuscriptis vel impressis, et in testimoniis ab antiquis Patribus citatis unus prorsus idemque substantialiter textus Legis, Prophetarum, Historicorum et Moralium librorum repraesentetur. Sufficiat haec in praesentiarum innuisse.

Arg. III indirectum deduci potest ex impossibilitate corruptionis substantialis hebraici textus V. T. Sane si percurramus varias epochas eiusdem textus, a librorum scriptione usque ad captivitatem Babylonicam, a captivitate usque ad Christum, a Christi aetate usque ad Masorethas, a Masorethis usque ad nostra tempora videbimus nullam prorsus aetatem assignari posse, in qua corruptio sacri Textus substantialis sive data opera, sive etiam casu fieri potnerit. Et re sane vera, in prima aetate, viventibus et invigilantibus Prophetis, et Sacerdotibus Levitisque religiose custodientibus sacros codices, non potuit profecto fieri ut saltem in sua substantia corrumpentur. Recolenda hic sunt quae alias innuimus de solempni voluminis Legis Sacerdotibus et Levitis facta traditione (Deut. XXXI, 26. seq.): tunc enim unico prorsus exem-

plo factum est ut integra tribus (scilicet Levi) quae ad 50,000 hominum pertinebat speciali custodiae sacrorum codicum esset deputata: quod quidem officium religiose ab illis impletum fuisse constat. Praeterea, mortuo Moysi successit Iosue et post eum series illa piorum virorum, qui diu post Iosue, mortem superstites fuerunt, et sub quibus dicuntur Iudaei fideliter Domino servisse (Ios. XXIV, 34): « Servivitque Israel Domino cunctis diebus Iosue, et seniorum, qui longo vixerunt tempore post Iosue, et qui noverrunt omnia opera Domini quae fecerat in Israel. » Successerunt Iudices, viri sanctissimi, et ab ipso Deo electi usque ad Samuelem. Is autem agmen ducit Prophetarum qui magno numero post illum a Deo suscitati sunt, quique spiritu Dei pleni ad rerum sacrarum custodiam advigilabant tanto zelo, ut in iis defendendis nec populo, nec principibus, nec Regibus, nec Sacerdotibus parcerent, quique profecto nunquam permisissent sacros codices vitari. Accedit ingens exemplarium numerus quae magna cura sub vigilantia Sacerdotum describenda erant (Deut. XVII. 18. seq.): item publica et privata lectio, qua fiebat ut sacer textus Iudaeis apprime notus esset, proindeque notabilis quaelibet immutatio nunquam inobservata manere potuisset. Confirmatur hoc argumentum ex indole sacrorum librorum. Talia enim continebant quae Hebraeis omnino familiaria erant, eosque valde interesse debebant. Imprimis enim Sacerdotes, et Levitae, Reges, Iudices ac reliqui Iudaeorum magistratus in hisce libris pervolvendis assidui esse debebant, cum in illis codex civilis simul et religiosus contineretur, forma divini cultus, iudiciorum norma, poenae diversis criminibus infligendae, historia gentis etc. Sed etiam populus non minori assiduitate libros istos legebat: siquidem omnium intererat probe nosse quae in hisce libris de quotidianis etiam et privatis negotiis praescribuntur, uti formas contractuum, leges de matrimonio, de haereditatibus, de possessionibus familiarum, de servis, de variis sacrificiis quibus offerendis saepe adstringebantur: quae omnia quemadmodum ex una parte ita complexa ac minuta erant ut non nisi ex continuo et familiari librorum usu teneri possent, ita vicissim ipse usus civilis ac religiosus librorum argumentum ac sententias altius mentibus imprimebat. Quod etiam valet de historicis ac prophetis libris tum ob naturalem patriam historiam discendi amorem, et insitam de futuris populi sortibus sollicitudinem, tum etiam ad

familiarum origines et genealogias, quarum Iudaei studiosissimi erant, scrutandas. Accedit publica librorum lectio quae singulis sabbatis in synagogis fiebat, non solum Pentateuchi, sed et Prophetarum, quemadmodum ex Hebraeorum traditione et ex variis locis N. T. (Act. XV, 21, Luc. IV, 16, etc.) colligitur; atque insuper singulis septenniis integrum volumen Legis in festo Tabernaculorum coram populo legendum erat ex ipso Moysi praecepto (Deut. XXXI, 10. seq.). Iamvero substantialiter corrumpi libros omnibus notos, et quotidiano usu familiarissimos impossibile est: quaelibet enim mutatio huiusmodi in omnium oculos statim incurreret. Hinc etiam sequitur magnam exemplarium copiam necessario existere debuisse ut tam variis et tam frequentibus omnium usibus satis fieret, ac proinde sacrum textum nunquam ita corrumperetur ut non plura exemplaria incorrupta remanerent, ex quibus caetera emendari possent. Denique omittendum non est argumentum ex dissensionibus, quae toto illo temporis spatio sive sub iudicum regimine, sive sub Regibus inter tribus ac tribus, familias ac familias, regnum et regnum extiterunt, ex quibus fiebat ut neutra ex dissidentibus partibus aliquid contra sacrum textum moliri, aut etiam ex negligentia corruptionem admittere posset quin altera reclamaret.

In secunda epocha corruptionem fieri non potuisse ostenditur tum ex praedictis rationibus, quae pro epocha ista ex aequo militant, tum etiam ex specialibus quibusdam adiunctis. Et primo quidem codicum numerus in hac epocha in immensum crevit; nec amplius inter fines Palaestinae continebantur, sed ad exteras etiam gentes delati, et in dissitis regionibus disseminati sunt, scilicet ob frequentes Iudaeorum sive voluntarias sive necessarias emigrationes. Iam enim Israelitae 740 ante Christum annis in Assyriam deportati sacros codices illuc attulerant, quod iterum factum est anno 720 cum reliqui Israelitae in captivitatem adducti sunt, et per varias Assyriae provincias et Mediae urbes dispersi. Sexcentis autem annis A. C. ipsi Iudaei in Babyloniam abducti sunt, inter quos Daniel cum nobilissimis iuvenibus, et Ezechiel cum 10,000 Iudaeorum, et paulo post integer fere populus cum Sacerdotibus et Levitis qui omnes quamplurima textus exemplaria secum in Chaldaeam ferebant. Circa idem tempus plures Iudaei cum Ieremia e Chaldaeorum manibus effugientes in Aegyptum primum,

mox autem in Arabiam quoque Felicem codices asportabant. Crevit codicum numerus in Aegypto et Cyrene postquam Ptolemaeus Lagi ducenta Iudaeorum millia in eas regiones traduxit. Paulo post in Syriam, in Asiam Minorem, in Graeciam ac demum Romam etiam Iudaei penetrantes sacros codices ubique fere terrarum disseminarunt. Porro cum tot essent sacri textus exemplaria in tam dissitis regionibus, in tot diversarum gentium manibus, impossibile omnino fuisset ut omnia corrumperentur ita ut verus originarius textus in aliqua sui parte periret. Accedit *secundo* sacros libros in alias quoque linguas hac aetate conversos fuisse, primum scilicet graece per Alexandrinos interpretes tertio A. C. saeculo, tum etiam circa Christi aetatem chaldaice, et fortasse aliis etiam linguis. Inde factum est ut non solum cresceret codicum numerus, sed et nova series instrumentorum exurgeret quibuscum singula textus loca comparari possent. *Tertio* denique constat Hebraeos ex captivitate reversos in divino cultu observando ac in sacris libris custodiendis diligentiores quam antea fuisse. Apparet hoc non modo ex tota huius epochae historia, sed etiam ex expresso Iosephi et Philonis testimonio, quorum primus in Lib. I. contra Appionem Cap. 8. ait: « Apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo dissentientium atque inter se pugnantium, sed duo dumtaxat et viginti libri totius praeteriti temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini.... Quanta porro veneratione libros nostros prosequamur re ipsa apparet. Cum enim tot iam saecula effluerint, nemo adhuc adhaerere quidquam illis, nec demere, nec commutare ausus fuit; sed omnibus nobis statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum atque innatum est, Dei ut haec esse praecepta credamus, iisdemque constanter adhaereamus, et eorum causa, si opus fuerit, libentissime mortem perferamus. » Testimonium autem Philonis superius recitavimus ex Eusebio lib. VIII. praepar. Evang. Cap. 8. Consentiant testimonia Christi et Apostolorum, uti superius vidimus. Ex hisce omnibus merito concludimus textum hebraicum ante aeram Christianam substantialiter vitari non potuisse.

Accedimus nunc ad epocham Christianam de qua maior est difficultas, ita ut nonnulli existimaverint Iudaeos post Christum ex odio Christianae Religionis, vel ad argumenta Christianis eripienda quaedam loca V. T. corrupisse. Verum id admitti nullo modo potest,

scilicet si de *substantiali* corruptione sit sermo. Et primo quidem obstacula omnia quae corruptionem impediabant ante Christum, eadem post Christum non solum non cessarunt, sed magnum potius incrementum habuerunt. Quod imprimis valet de multitudine exemplarium: siquidem praeter originalem textum, et versiones Alexandrinam ac Chaldaicam, plures aliae apud Christianos confectae fuerunt, ex quibus non paucae, ut Syriaca et Vulgata Hieronymiana, immediate ex hebraico textu prodierunt, aliae vero plerumque ad antiquam Alexandrinam versionem exactae sunt, inter quas omnes mirus apparet in substantialibus consensu. Idem dicendum de custodia ac religione qua sacri codices asservati sunt. Antiquae enim Synagogae successit Christi Ecclesia, quae non minori veneratione sacros libros semper prosequuta est, ut ex alias dictis apparet. Nec defuerunt docti viri qui identidem hebraicum textum consulere et cum antiquioribus codicibus aut versionibus probatissimis conferrent, ut tertio saeculo Origenem fecisse constat, quarto saeculo Hieronymum et deinceps alios. Nec putandum est Hebraeos suos codices neglexisse, cum contra certum sit post eorum dispersionem eos non modo diligentes, sed et superstitiosos fuisse in sacro textu custodiendo. Iam vidimus quanta cura et quam minute hebraicus textus correctus et contra futuras variationes praemunitus fuerit a Masorethis, nec non a posterioribus doctoribus Ben-Ascher, Ben-Nephtali, Norzi aliisque recentioris aetatis. Verum praeter haec obstacula novum aliud exortum est prorsus insuperabile in mutua aversione quae semper exstitit inter Hebraeos et Christianos. Si Hebraei ausi fuissent locum aliquem sacri textus corrumpere Christiani doctores contra illud facinus alte conclamassent, et vicissim Hebraei ad Christianos accusandos semper proclives idem fecissent si quid huiusmodi apud Christianos attentum fuisset. Denique factum ipsum suppositam Hebraeorum fraudem excludit. Si enim Iudaei Scripturam corrumpere voluissent, ad quem alium finem id fecissent, nisi ut testimonia quaedam Legis et Prophetarum quae Christiani contra illos afferebant depravarent, et vitioso sensu ipsis Christianis eriperent? Iam vero loca ista omnia in hebraico textu reperiuntur, et quidem ita ut saepe maiorem habeant vim ad confundendos Iudaeos in textu, quam in versionibus. Exemplo esse potest locus psalmi secundi v. 12, ubi Vulgata legit: « *Apprehendite disciplinam* ne quando irascatur Do-

minus »; textus autem hebraicus clarius de Christo loquitur: « *Osculamini* (idest *reveremini*) *filium*, ne forte irascatur » item Is. LIII, 4, ubi Vulgata legit: « Et nos putavimus eum quasi leprosum et *percussum a Deo* et humiliatum » textus clarius et efficacius legi potest: « *percussum Deum, et humiliatum:* » ita etiam in celebri Isaiæ vaticinio (VII. 14): « Ecce *Virgo concipiet et pariet filium* » iuxta hebraicum textum Beatae Mariae virginitas in conceptione et in partu clarius elucet, cum ibi pro futuris praesentia participia ponantur: « Ecce *Virgo praegnans et pariens.* » Huc pertinent etiam loca illa ubi Deus vocatur אלהים, plurali scilicet nomine, ut ex. gr. in ipso exordio Geneseos (Gen. I, 1), vel ubi verbum plurale Dei nomini coniungitur, ut ex. gr. Is. LIX, 5, Psalm. 449, 2, Eccli. II, 42, XII, 1 etc. quibus ex locis Theologi mysterium pluralitatis personarum in Deo confirmare solent: ita etiam locus Ier. XXIII, 6, ubi legit Vulgata: « Et hoc est nomen quod vocabunt eum (Messiam): *Dominus iustus noster.* » Sed multo efficacius textus Hebraicus qui habet nomen tetragrammaton יהוה, quod proprie Divinam naturam exprimit, et soli Deo convenit. Plura alia exempla invenies in *Pugione fidei* Raymundi Martini praesertim in editione Voisinii, et brevius in egregio opusculo Io. Bern. De Rossi, cui titulus: *De praecipuis causis et momentis neglectae a nonnullis hebraicarum literarum disciplinae* (Taurini 1769) Cap. VI. Si igitur haec non corruerunt Iudaei, quo iure de aliorum locorum quae eis contraria non sunt corruptione accusari possunt? — Ergo textus substantialiter corruptus non est.

§. III. Obiectionum solutio.

Obiic. 1° Ante Christum sacros codices fuisse corruptos, aut etiam omnino deperditos tribus praesertim temporibus, scilicet primo sub regibus Manasse et Ammon, secundo in captivitate Babylonica, tertio demum in persecutione Antiochi Epiphani. Primum ostendere conantur ex historia quae legitur 4 Reg. XXII, et 2 Paral. XXXIV de reperto volumine Legis sub Iosia rege. Ad secundum probandum arguunt ex eo quod, durante captivitate Babylonica divinus cultus ac sacrorum codicum lectio intermissa fuerit; ac praeterea ex plurium Patrum testimonio, qui dicunt Esdras post reditum ex captivitate libros Legis ac Prophetarum deperdi-

tos ex memoria restituisse. Ita S. Irenaeus adv. haer. lib. III, Cap. 5: « Deus, inquit, inspiravit Esdrae Sacerdoti tribus Levi praeteritorum prophetarum omnes rememorare sermones, et restituere populo eam legem quae data esset per Moysen. » Idem affirmat Eusebius in Chronico ubi de Esdra loquens ait: « Affirmatur quoque divinas Scripturas memoriter condidisse. » Etiam Theodoretus in Canticum: « Si ergo, inquit, Esdras nulla exemplarium ope, sed sola Spiritus Sancti gratia adiutus potuit omnium mortalium commodis libros Scripturae scribere etc. » Consonant Basilius, Hieronymus et alii. Tertium denique confirmant ex iis quae leguntur 1° Mach. I, 59, 60, ubi inter alia facinora a satellitibus Antiochi Regis contra Iudaeos patrata hoc etiam narratur: « Et libros Legis Dei *combusserunt igni scindentes eos*, et apud quemcumque inveniebantur libri Testamenti Domini, et quicumque observabat Legem Domini secundum edictum regis trucidabant eam. » Hinc concludunt adversarii pluries ante Christum sacros codices violatos ac etiam destructos fuisse.

Resp. Ad primam epocham quod attinet admitti nullo modo potest aetate Manassis et Ammonis codices omnes sacri textus perisse, aut substantialiter vitiatos fuisse. Quod enim Manasses aut eius filius Ammon unquam attentaverint sacros libros perdere imprimis nullibi legitur, etiamsi cetera eorum erimina a sacris et profanis historicis non dissimulentur; sed etiamsi supponamus eos tantum facinus molitos fuisse, nunquam tamen potuissent omnia exemplaria destruere vel corrumpere: erant enim poene infinita, omnium manibus terebantur, innumeri quoque aderant viri sancti, Prophetae, Sacerdotes, Levitae, qui nunquam permisissent generale omnium codicum excidium, et plures absque dubio occultassent ne in manus satellitum perveniret. Praeterea Manasses postquam in captivitatem ductus est resipuit, et ad regnum suum reversus omni studio incubuit in malis a se patris reparandis; eius autem filius Ammon duobus tantum annis regnavit. Quomodo vero explicandum sit factum Iosiae regis post repertum in templo volumen Legis superius a nobis demonstratum est. Hic vero addimus in historia Iosiae multa occurrere quae ostendunt illum libros Moysi cognovisse ac legisse antequam exemplar illud ab Helcia Pontifice in aedificiis templi inveniretur. Vide 4 Reg. XXIII, 23, 2 Paral. XXIII, 48, XXIV, 6, XXX, 46, etc. Quoad secundam epocham falsum omnino

est quod sacri codices omnino perierint in captivitate Babylonica: Patres autem qui hoc affirmare videntur aut aliter explicandi sunt, aut, si id fieri nequeat, dicendum eos deceptos fuisse apocrypho testimonio lib. IV Esdrae. Dicimus itaque imprimis ex historia constare tempore captivitatis libros Legis ac Prophetarum apud plures saltem Iudaeos extitisse, et religiose custoditos fuisse. Sane etiamsi positiva testimonia non haberemus hoc omnino suaderet pietas plurium sanctissimorum virorum qui in captivitate abducti sunt, qui sacros libros secum absque dubio detulerunt. Deinde id positive constat tum ex sacra tum ex profana historia. Ita ex. gr. narratur Ieremiam Iudaeis in captivitate abeuntibus codices sacros tradidisse et commendasse 2^o Mac. II, 2: « Et dedit illis (Ieremias) legem ne obliviscerentur praecepta Domini. » Daniel circa finem captivitatis librum Legis commemorat et ad speciales eius partes alludit tamquam universo populo notas (Dan. IX, 11, 13), idemque librum Ieremiae legebat, in quo intellexit numerum annorum captivitatis (Dan. IX, 1, coll. Ier. XXV, 11, XXIX, 40) et ibidem v. 5 verba Baruch I, 17, adducit. Idem apparet ex 1 Esdr. 6, 18, ubi legitur Sacerdotes et Levitas antequam Esdras in Palaestinam rediret iam in « ordinibus suis et in vicibus suis constitutos fuisse super opera Dei in Ierusalem, sicut scriptum est in libro Moysi. » Et postquam Esdras ad suos venit populus eum rogavit, non ut sacra volumina restitueret, et conderet, sed « ut afferret librum Legis Moysi, quam praeceperat Deus Israel » (2^o Esdr. VIII, 1.). Accedit testimonium Iosephi Flavii, qui in lib. XI Antiquit. Cap. 1 narrat librum Isaiae prophetae ostensum fuisse Cyro, ubi eiusdem principis nomen a Deo praedictum legebatur, quo facto Cyrus motus est ad Hebraeos captivitate liberandos. Ex hisce luculenter apparet nequaquam sacros codices deperditos fuisse in captivitate Babylonica, ac proinde falsum esse quod aliqui dicunt Esdras libros omnes memoriter restituere debuisse. Nec quemquam movere debet auctoritas Doctorum qui ab adversariis citantur. Nisi forte cum Richardo Simone quis dixerit Esdras non integros libros sed eorum compendium restituisset: quod tamen absque ullo fundamento citatus auctor commentus est, et docte refutatur prae ceteris a Dupino in Dissert. Prael. I cap. 2, §. 4. (De hac quaestione legenda est dissertatio 2^a de Esdra praefixa libris Esdrae in *Bible de Venise*).

In tertia denique epocha, nempe Antiochi Epiphani falso

prorsus asseritur sacrum textum adulteratum fuisse. Aliud est enim quod Antiochus sibi proposuisset sacram Iudaeorum Scripturam perdere, aliud est quod res ei e voto successerit. Obstabat enim veneratio Iudaeorum erga sacros libros, quos e manibus Antiochi eripuerunt, praesertim Machabaei quos invictae eidem Antiocho eiusque successoribus restituisse novimus. Et re sane vera post narratam persecutionem Antiochi legimus in 4 Mach. III, 48 Machabaeos *libros Legis* coram Deo expandisse divinam opem implorantes, et iterum post plures annos Ionathas Machabaeus ad Spartanos scribens, ut foedus cum iis renovaret, dicit se *habere solatio sanctos libros, qui sunt, inquit, in manibus nostris* (1 Mac. XII, 9). Praeterea aetate Antiochi iam facta fuerat versio LXX interpretum, eiusque exemplaria extra Iudaeam ubique diffusa erant, et ipsi hebraici codices in Aegypto aliisque regionibus magno numero reperiebantur, ad quos violandos regum Syriae potestas perlingere non poterat. Frustra igitur adversarii aetatem aliquam ante Christum quaerunt qua hebraica Scriptura corrupta fuerit.

Obiic. 2^o saltem post Christum corruptionem textus a Iudaeis factam esse ex odio christianae religionis. Ad hoc ostendendum afferunt testimonia quorundam Patrum qui de hoc crimine Iudaeos accusant, ut Iustinus in Dialogo cum Tryphone Hebraeo, Chrysostomus Hom. 3 in Matth., Eusebius Hist. Eccl. IV, 18, et ipse Hieronymus in Cap. V. Michaeae. Addunt, apud Hebraeos circumferri scriptum appellatum *Tikkun Sopherim*, idest *correctiones scribarum*, ubi plura dicuntur a Rabbini mutata in sacro textu. Denique afferunt testimonia quorundam Rabbiorum, qui non obscure innuunt Iudaeos tentasse quorundam textuum depravationem, ita ex. gr. R. Samuel scribens ad R. Isaac ait: « utinam quando interfecimus Isaiam delevissemus auctoritatem illam: quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? »

Resp. praedictas auctoritates non demonstrare Iudaeos textum corrupisse saltem quod ad substantiam pertinet. Imprimis enim superius demonstravimus impossibile fuisse Iudaeis hoc perficere etiamsi animum id tentandi habuissent; quod tamen neque admittendum est. Contra enim apparet, Iudaeos post Christum sacros codices non solum religiose sed et superstitione semper custodisse ita ut neque patiantur errores levissimos orthographiae saltem in codicibus pro synagogis destinatis. Addi etiam potest,

praeter Masorae leges, quae textus integritatem muniunt, et Christianorum vigilantiam qui Iudaeos nunquam permisissent Scripturas corrumpere, addendum, inquam, est inter ipsos Hebraeos duas veluti scholas vel sectas usque a remotissima aetate existere, quarum una dicitur *Rabbanitarum*, qui praeter textum sacrae Scripturae etiam traditiones Rabbiorum magna religione sequuntur, alia vero dicitur *Karaitarum*, qui nihil praeter sacras literas admittere volunt. Inter duas istas scholas magnae controversiae, et quaestiones semper extiterunt, ac proinde impossibile est ut Iudaeorum doctores post Christum in textu V. T. immutando unquam consenserint. Quod pertinet autem in specie ad argumenta adversariorum respondemus ad *primum*, laudatos Patres vel de corruptionibus levioris momenti sermonem habere, vel nullatenus loqui de corruptionibus textus, sed potius de sensu quorundam locorum in quibusdam versionibus graecis ab Hebraeis vel hebraizantibus auctoribus confectis non bene reddito aut dolose depravato. Ita ex. gr. Iustinus in cit. op. n° 72. existimat in ps. 95 a Iudaeis expunctas fuisse voces a ligno ex illa sententia: *dicite in gentibus quia Dominus regnavit*. Verum praeterquam quod mutatio illa levioris momenti esset, constat insuper praefata verba ad textum nunquam pertinuisse et potius in graeca versione $\tau\omega\upsilon$ LXX redundare, quam ex textu erasa fuisse. Quare Hieronymus ea omisit in psalorum latina recensione, neque eadem occurrunt in paraphrasibus chaldaicis; neque in ipsis exemplaribus versionis LXX amplius leguntur. Deinde, si totus Iustini locus legatur, apparebit eum non de hebraico textu loqui, sed potius de ipsa versione graeca in cuius exemplaribus existimabat a Iudaeis Hellenistis (e quorum numero erat Tryphon) mutationem illam factam fuisse. Sic enim mentem suam aperit Iustinus in citato Dialogo n° 74: « Et quod Iudaei multos et integros locos illarum (Scripturarum) ex translatione eorum qui cum Ptolemaeo fuere seniorum (nempe LXX interpretum) abstulerint, in quibus clare hunc ipsum crucifixum Deum et hominem esse, eumque in cruce pendere, et mori praenunciatum esse ostenditur, scire vos volo » et ad hoc probandum adducit exemplum ex citato ps. 95. Idem dicendum est de alio exemplo quod postea adducit ex Is. VII, 14: « Ecce *Virgo* concipiet » ubi Aquilam et Theodotionem accusat quod hebraicam vocem *almah*, quae a LXX recte versa fuerat per vocem $\text{H}\alpha\pi\theta\epsilon\upsilon\omicron\varsigma$, seu *virgo*, verterint per vocem $\text{v}\epsilon\alpha\zeta\upsilon\iota\varsigma$, seu *adolescentula*. Ad Eusebium quod

attinet, is nihil aliud dicit nisi convictum fuisse a Iustino Trypho-
nem quod quaedam a maioribus suis ex sacra Scriptura ablata
fuisissent. Quapropter haec intelligenda sunt ad mentem Iustini, sci-
licet non de textu hebraico sed de graecis eius versionibus. Ea-
dem dicas de Chrysostomo et de Hieronymo; hi enim de inter-
pretibus Iudaeis affirmant, quod in suis interpretationibus de he-
braeo in graecum multa perperam reddiderint in odium christia-
nae fidei, et contra LXX interpretationem translationem. Si vero He-
ronymus Comm. in cap. V. Michaeae innuere videtur textum ipsum
ibi a Iudaeis corruptum fuisse, id dubitanter insinuat, non vero
affirmat. In commentariis vero Isaiae quos posterius scripsit, irri-
det eos qui putant hebraeos codices a Iudaeis esse falsatos, ut alias
vidimus. Ceterum si forte aliqui ex antiquis Doctoribus qui contra
Iudaeos disputabant, ut Tertullianus, de ipsius textus mutatione
Iudaeos accusant, hoc ex eo explicandum est, quod antiqua aeta-
te LXX interpretum translatio in magna veneratione apud omnes
haberetur, et a multis etiam crederetur divinitus inspirata: hinc
fiebatur aliquando ut cum differentia aliqua observaretur inter ver-
sionem illam et textum hebraicum christiani Doctores facile cla-
marent Hebraeos textum vitiasse. Quod tamen plerumque verum
non erat, cum potius vitium ex parte versionis staret, ubi quae-
dam minus accurate, ex errore praesertim codicum, legebantur.
Vel etiam aliquando fieri potuit, ut alias diximus, ut Iudaei non
quidem data opera Scripturas vitaverint, sed ubi in codicibus
duas varias lectiones invenerant, illam selegerint quae minus fa-
vebat Christianis, altera relicta quamvis critice probabilior, et de
hoc a quibusdam Christianis Doctoribus accusati sunt, ut notat
Walton in Prolegomeno VII ad Polyglotta Anglicae. Haec quidem
de Patribus. Quod pertinet ad testimonium Talmudistarum in *Tik-
kun Sopherim*, non desunt scriptores qui haec inter fabellas Tal-
mudicas amandent, ut ex nostris Sixtus Senensis, et Bellarminus,
et ex Hebraeis Aben Ezra. Alii vero probabilius istas *correctio-
nes scribarum* admittunt, sed alias non esse contendunt quam
correctiones ab Esdra factas in libris sacris colligendis, et expur-
gandis, quae quidem non ad corrumpendum textum, sed potius
ad restituendum, non sine Dei adistentia factae sunt. Denique ad
testimonium Rabbi Samuel aliorumque Rabbiorum respondemus:
etiamsi daretur quorundam Hebraeorum malitiam eoque progres-
sam esse ut desiderarent vel etiam tentarent quaedam Prophetarum

vaticinia corrumpere, certum tamen esset *universalem* codicum corruptionem nunquam ab iis fieri potuisse, aut factam esse. Non potuisse quidem fieri apparet ex omnibus rationibus superius adductis, et praesertim ex codicum multitudine qui in manibus etiam Christianorum semper fuerunt; factam non esse praedictam corruptionem apparet ex collatione textus hodierni cum antiquioribus codicibus, versionibus et allegationibus in Patrum operibus factis.

Obiic. 3° Reipsa constare textum in pluribus locis substanti-
liter esse corruptum. Et hic plura exempla in medium adducunt, praeter ea quae in prima parte Thesis, et in secunda obiectione commemorata sunt. Afferunt itaque praecipue 1° chronologiam Pentateuchi, quam dicunt ex industria a Iudaeis mutatam esse, ne cogerentur admittere Messiam iam venisse. Ita prae ceteris Vossius in *Syntagmate de LXX interpretibus*, et P. Pezronius in defensione *antiquitatis temporum restituae*. 2° Ps. XIII ubi desunt octo integri versus in Hebraeis codicibus, scilicet a verbis: « Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant etc. » usque ad verba: « Non est timor Dei ante oculos eorum. » Quae omnia habentur apud LXX, et citantur ab Apostolo (Rom. III). 3° Mich. V, 2 celebre vaticinium de loco nativitatis Messiae corruptum a Iudaeis videtur, ne cum Evangelio Matthaei II, 2 cohaereret. Ibi enim Sacerdotes et Scribae ab Herode interrogati, sic verba Prophetiae retulerunt: « Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiit dux qui regat populum meum Israel. » Nunc autem textus Hebraicus, quem Vulgata sequitur, ita se habet: « Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel. » 4° In ps. XXII. corruptum esse dicunt versus illum: « foderunt manus meas et pedes meos » nam in Hebraico textu pro *caru*, quod est foderunt, legitur *caari* quod est. *sicut leo*, et nullum sensum habet.

Resp. Praeter ea quae superius dicta sunt de aliis levioribus mutationibus, etiam paucae mox indicatae aut nullo modo corruptiones dicendae sunt, aut substantiam rei non efficiunt. De primo et ultimo loco quae longiorem disputationem requirunt alias dicemus, de primo nempe in capite seq., de altero vero in critica verbali. De duobus reliquis breviter hic respondebimus. Et imprimis quod pertinet ad psalmum XIII dicimus cum S. Hie-

ronymo, qui hanc obiectionem solvit in praef. in lib. XVI in Isaiam, octo illos versus ad psalmum XIII proprie non pertinere, sed ideo in psalmum illum insertos fuisse, quia S. Paulus Rom. III. cum verbis eiusdem psalmi eos contexit, quamvis ex aliis Scripturae locis deprompti sint, scilicet primus et secundus versus ex ps. V, tertius ex ps. CXXXIX, quartus ex ps. IX, quintus, sextus et septimus ex Isaiam LIX, octavus ex ps. XXXV. Neque verum est in versione των LXX hosce versus lectos fuisse, ut ibidem observat Hieronymus, et etiam Origenes innuit Com. in Rom. III. Itaque ex cit. loco Apostoli in versionem latinam Psalmi XIII versus illi immigrasse dicendi sunt; Ecclesia vero eos relinquendos existimavit quia ex una parte sunt vere sacrae Scripturae verba, et ex alia parte non erant turbandi fideles qui iam diu assueti erant eos in praefato psalmo recitare. Ad alterum locum Michaeae V, nonnulli respondent, sacerdotes et scribas subito a Rege interrogatos, cum codices prae manibus non haberent, vaticinium illud memoriter recitasse parum accurate, Mathaeum vero eorum responsionem fideliter retulisse, fortasse etiam eo fine ut eos de negligentia in Scripturis legendis redargueret, ut conicit Hieronymus, com. in hunc locum: « Arbitror, inquit, Mathaeum volentem arguere Scribarum et Sacerdotum erga divinae Scripturae lectionem negligentiam, sic etiam posuisse ut ab eis dictum est. » Alii vero existimant testimonium illud Michaeae olim sic lectum fuisse in versione LXX ut est in citato loco Evangelii, siquidem eodem prorsus modo recitatur ab antiquis doctoribus, Origene (Lib. I. contra Gels.), Cypriano (Lib. II. Testim. cap. 12), Tertulliano, Eusebio aliisque, qui omnes versionem LXX viralem vel immediate vel mediate sequebantur; postea vero versionem ipsam ad textum originalem correctam fuisse dicunt, eo modo quo nunc legitur. Verum necessarium non videtur ad haec confugere, ut scilicet dicamus vel errasse sacerdotes illos, vel testimonium mutationum subisse. Magis obvium est dicere Sacerdotes et Scribas ab Herode interrogatos *ubi Christus nasceretur?* respondisse testimonio Michaeae, ita ut non verba ipsa Prophetiae, sed sensum potius referrent. Et sane sensus idem prorsus est sive legatur vaticinium iuxta textum Hebraicum et Vulgatam latinam, sive prout iacet apud Mathaeum II, 6. Cum enim textus dicit: « Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur etc. » hunc

sensum iuxta mentem Prophetæ includit: « Et tu Bethlehem Ephrata, parvula quidem es, extensione territorii, et incolarum numero; at minime parvula celebritate nominis et gloria, quia ex te exiet Messias » seu aliis verbis: quamquam parvula sis, non es tamen parvi momenti, quia ex te oriatur Messias; verum hoc ipsum est quod dicitur in testimonio ut apud Matthaem allegatur. Nec difficultatem ingerit, quod in Evangelio dicatur *Bethlehem terra Iuda*, et in textu hebraico, *Bethlehem Ephrata*; cum enim duo oppida essent in Palestina nomine Bethlehem alterum in Iudæa, alterum vero in Galilæa, ad Bethlehem Salvatoris determinandam, sacerdotes addiderunt « *terra Iuda* », textus autem addit « *Ephrata* » quia Bethlehem Iuda illud etiam nomen gerebat, unde Bethlehemita in Scripturis sumitur aliquando pro Ephrataeo. Quare licet daretur vaticinium Michææ a sacerdotibus illis accurate recitatum fuisse quemadmodum in originario textu legebatur, adhuc probata non esset substantialis illius loci corruptio in nostris editionibus; multo magis autem si admittatur, ut supra diximus, locum illum non verbo tenus sed ad sensum ibi allegatum fuisse.

ARTICULUS II.

DE CONSERVATIONE ET INTEGRITATE LIBRORUM V. T.
QUATENUS IN VERSIONIBUS CONTINENTUR.

Recolenda sunt quæ in Sectione I. diximus de notione versionis, et de magno versionum numero. Sunt enim hæc communia etiam libris V. T. Non tamen eadem semper sunt versiones Veteris, ac Novi Foederis, nec idem semper auctor eademque aetas. Oportet itaque seorsim agere de V. T. versionibus ut compleantur ea quæ disputata sunt in præcedenti Sectione. Ut autem ordini consularum distinctis paragraphis dicemus: 1° de versionibus Graecis, imprimis de versione των LXX omnium antiquissima et probatissima; 2° de versionibus Orientalibus proprie dictis; 3° de Occidentalibus versionibus præsertim Italæ et Vulgatæ Latinæ; 4° de Bibliis Polyglottis.

§. I. De versionibus Graecis V. T. ac præsertim de versione LXX interpretum seu Alexandrina.

Versiones Graecæ V. T. quarum memoria extat septem præcipue numerantur scilicet: versio *Alexandrina*, versiones *Aquilaæ*, *Symmachi*, et *Theodotionis*, et aliae tres anonymæ quæ V, VI, et VII appellantur. Versiones istæ *hexaplares* vocatae sunt, quia in hexaplis Origenis locum habebant, ut postea explicabimus. Inter laudatas versiones eminet

A. Versio Alexandrina, seu LXX interpretum.

Dicemus breviter 1° de eius origine et historia, 2° de vicibus quas subiit et de praesenti eius statu, 3° de eius valore sive intrinseco sive extrinseco. Quæ omnia, claritatis gratia, proposita sequenti thesi exponemus.

THESIS XXVII.

Versio Graeca LXX interpretum, quæ Alexandrina dicitur, tertio A. C. saeculo in Aegypto confecta, etiam prout in hodiernis editionibus invenitur ab erroribus contra fidem et mores immunitis est, et cum textu originario substantialiter conformis.

Inter omnes sacrae Scripturae versiones antiquissima (1) est versio Graeca quæ aliquando dicitur *Alexandrina*, ratione loci in quo confecta fuit, aliquando (praesertim apud antiquos) dicta est versio *LXX interpretum*, vel *septuaginta viralis*, vel brevius των LXX, aut omnino Graecæ των ὀ, ratione auctorum, qui LXXII fuisse dicuntur cuius loco numerus rotundus LXX positus est.

(1) Nonnulli existimant ante Alexandrum Magnum iam in Aegypto Graecam aliquam versionem Pentateuchi extitisse; ducti testimonio Clementis Alexandrini et Eusebii, qui rursus Aristobuli cuiusdam ex aetate Ptolemaeorum scriptoris testimonio innitantur. Ex qua versione dicunt Platonem et Pythagoram aliosque Graecos philosophos multa hausisse. Verum alii communius id negant existimantes Aristobuli librum spurium esse, a quo Clemens et caeteri decepti sunt; philosophos autem non ex Graeca V. T. versione, sed ex commercio cum Hebraeis quaedam didicisse. Illevis Huetius media via incedens putat non totam legem, sed quasdam tantum partes ante Alexandrum Graecæ factas esse.